Dissertatio medica inauguralis, de diarrhoea infantum: ejusque varietatibus, et causis, et consiliis medendi ad singulas accommodatissimis / [Joseph Ralph].

Contributors

Ralph, Joseph.

Publication/Creation

Edinburgh : J. Moir, 1821.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/m5ut24e4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIARRHŒA INFANTUM;

EJUSQUE VARIETATIBUS, ET CAUSIS, ET CONSILIIS MEDENDI AD SINGULAS ACCOMMODATISSIMIS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DIARRHOEA INFANTUM:
ELUSQUE VARIETATIBUS, ET CAUSIS, ET
CONSILIIS MEDENDI AD SINGULAS
ACCOMMODATISSIMIS:
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
AUCTORITATE RIVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
BENEVOLORUM EXAMINI SUBJICIT
JOSEPHUS RALPH,
Anglus;
COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIUS,
ET REG. SOC. THYS. EDIN. SOCIUS.

Tempora ars fere medicina est.——Ovidius.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
1821.

(16

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIARRHOEA INFANTUM:

EJUSQUE VARIETATIBUS, ET CAUSIS, ET CONSILIIS MEDENDI AD SINGULAS ACCOMMODATISSIMIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS RALPH,

Anglus;

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIUS,

ET REG. SOC. PHYS. EDIN. SOCIUS.

Temporis ars fere medicina est.——OVIDIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

1821.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

GULIELMO BENGO COLLYER,

D. D. L. L. D. A. S. S.

QUI

SIVE UNIVERSO GENERI HUMANO,

OB EGREGIAS INGENII DOTES

MIRAMQUE DICENDI FELICITATEM,

QUIBUS CAETUS HOMINUM ET MONET ET DELECTAT,

SIVE AMICIS,

PROPTER SUMMAM BENEVOLENTIAM

MORUMQUE ELEGANTIAM SINGULAREM,

CARIOR SIT

AMBIGERE LICET;

NECNON

ANDREÆ DUNCAN, Jun. M. D.

IN ACAD. REG. EDIN.

MATER. MED. REC. PROF. ET CLIN. MED. PRÆLECT.

REG. COLLEG. MED. EDIN. NECNON REG. SOC. EDIN

SOC. MED. CHIRURG. ET SOC. LIN.

SOCIO,

OB MAXIMA

IN REM PUBLICAM MEDICAM

MERITA,

INGUE ANIMI SIGNUM

NUNQUAM IN ÆR HENEFICIORUM

IMMEMORIS FUTURI;

ET VETERES NECESSITUDINEM,

ET NOVAM FAMILIARITATEM,

CONCORDI OFFICIO,

PROSEQUENS,

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

QUODCUNQUE SIT,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

ANDREÆ DUNCAN, JUN. M. D.

IN ACAD. REG. EDIN.

MATER. MED. REG. PROF. ET CLIN. MED. PRAELECT.

REG. COLLEG. MED. EDIN. NECNON REG. SOC. EDIN

SOC. MED. CHIRURG. ET SOC. LIN.

SOCIO,

OB MAXIMA

IN REM PUBLICAM MEDICAM

MERITA,

INQUE ANIMI SIGNUM

NUNQUAM IN SE BENEFICIORUM

IMMEMORIS FUTURI;

ET VETEREM NECESSITUDINEM,

ET NOVAM FAMILIARITATEM,

CONCORDI OFFICIO,

PROSEQUENS,

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

QUODCUNQUE SIT,

SACRUM ESSE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DIARRHŒA INFANTUM,

EJUSQUE VARIETATIBUS, ET CAUSIS, ET CONSILIIS MEDENDI AD SINGULAS ACCOMMODATISSIMIS.

AUCTORE JOSEPHO RALPH.

DE INFANTUM DIARRHŒA.

INFANTUM DIARRHOEA, morbus de quo pro tentamine meo inaugurali pauca dicere in animo est, medicorum summam attentionem curamque sibi vindicat. Formis variis se ostendit, quarum aliae vix morbosae, aliae valde morbosae et vix non lethales sunt habendae. Ut nihil dicam de parentum, praesertim matrum, anxietate et labore, infantes, quos quâcunque adoritur varietate, plus minusve semper torquet atque debilitat, valitudinem saepe reddit infirmam, vix unquam

renovandam, et sub formis ejus gravioribus vitae finem haud raro imponit.

Sequentia mihi est propositum proferre partim ex propriâ experientiâ, partim ex experientiâ scriptisque aliorum, et praesertim ex praelectionibus Doctoris HAMILTON, viri et arte et facundiâ insignis.

Alvi fluxus infantes omni aetate vexat, interdum salutaris, saepius est perniciosus. Ineunte aetate maturissimè accidere potest, secundo etiam vel tertio die post partum, quo tempore a matre non adhuc lacte fruente et a cibis minus idoneis infante datis plerumque oritur. Materno lacte, alimento a natura parato, adepto, organa concoquentia in sanitatem redeunt.

Hac brevioris aevi morbi specie absolutâ, observare est, Diarrhoeam quavis tenellae aetatis parte posteriore evenire posse; sed, quod postea notabitur, quum errores ad diaetam praecipuum morbi hujus fontem constituant, inde fit, ut quo magis alicuivis aetati hujusmodi errores attineant, eo frequentior fit hic morbus. Itaque post Infantem a mammâ disjunctum maxima ejusdem consuetudo.

Diarrhoea subito in conspectum interdum venit, saepius autem antecedunt quae cibum male concoqui ostendunt, inquietudo scilicet, ructus acidi, vomitusque, facies nunc rubra nunc pallida, necnon respiratio difficilis, cui accidunt tussicula sicca atque stertor.

Memoratum est ab HARRIS, pustulam rubram unam alteram cuticulâ exurgere in superiore aliquâ corporis parte, nunc scilicet in genâ utrâvis, nunc in facie aut colli regione, "quod certissimum acidi redundantis sig-"num esse" ait.

Rarum est quod haec symptomata diu protrahantur ante quam tenellus torminis instantissimis excruciatur, evacuationibus variam simul speciem exhibentibus. Dejectionis primum plerumque virides, acidae mucosaeque varias postea mutationes subeunt secundum singulas morbi causas vel gradus.

Morbo ingravescente, febris nunc lenis, nunc ardescens existit; dolor torminum quoque gravior fit; alvus saepius evacuatur evacuataque adeo acria fiunt, ut viae per quas

transeunt, exulcerant ur et dolorem vehementissimum excitant.

Si hoc tempore astringentibus et narcoticis exhibitis morbus imperite tractetur, inde febris multum augetur, atque convulsiones, quae, profecto, omni morbi gradu non sine magno periculo contingunt, frequentiores et periculosiores redduntur.

Praeterea tenello aegrotanti magis magisque impallescit et marcescit vultus miseramque anxietatem exprimit. Oculi concavi pellucidâ membranâ teguntur.

Tormina et dejectiones gravescunt et crebescunt. Appetitus plerumque male se habet, cibusque, quum recipiatur, vel statim vel brevi rejicitur, et vires corporis citius tardiusve solvuntur.

Abdomen interdum intumescit caeteris corporis partibus imminutis, cutisque adeo flaccida fit, ut circumdare artus queat.

Extrema denique intumescunt, respiratio fit crebrior et laboriosior donec tandem puerulus morti succumbat.

DE MORBI CAUSIS.

Ut necesse erit de his magis specialiter dicere, quum de morbi singulis varietatibus tractabo, videtur vix aliquod in hoc loco praeter simplicem earum enumerationem esse edendum.

Ex causis excitantibus manifestissimis, prima est alimentum haud idoneum, sive arte male paratum, sive per nutricem depravatum; cui adjungere liceat, uti vi haud asperandâ in hac re pollentes, dentitionem atque frigus nimium.

Quod ad causas praedisponentes attinet, satis erit hic adnotare maxime inter infantulos corporis imbecilli diarrhoeam grassari.

DE DIAGNOSI.

Morbi quibus Diarrhoea confundi potest, sunt Dysenteria, Cholera, et Enteritis Erythematica.

Dysenteriam sequentibus rebus a Diarrhoea distinguas. Illa saepe contagiosa est; febris ab initio adest; tormina ad unum aliquod punctum gravia sunt; dejectiones quoque, quae parcae sunt, et ex scybilis maxime compositae, saepius urgent, et gravissimi tenesmi iis comitantur.

Cholera ab Diarrhoeâ distingui potest, materia biliosâ supra infraque erumpente, necnon spasmis suras adgressis, quae symptomata in Diarrhoea non obtinent.

Enteritis Erythematica ab Diarrhoea discernitur febre ab initio comitante, dolore profundiore statariaque et dejectorum foetore cadaveroso. Contra, Diarrhoea neque contagiosa est nec ei febris ad initium adest. Denique dolores vagi sunt et magis intermittentes.

DE PROGNOSI.

Hanc cautissime colligere oportebit. Si morbus non diu productus est, viresque corporis non multum minuuntur: si causa excitans facile amoveri potest; denique, si dejectiones fiunt naturales, motusque intestinorum tardiores, tunc exitum faustum praedicere licebit.

Contra, si morbus diutissime protractus est, et nihil vel parum cibi sumitur, vel sumptus promptissime rejicitur; si vires et materies corporis celeriter et in universum labescunt, si causae excitantes facile auferri nequeant; si motu vehementi intestinorum coercito, dejecta naribus et oculis sese ingrata habent, praesertim ubi motus convulsivi sequuntur, vel febris; denique, si signa superveniunt alia corporis organa vitiari indicantia, tum magnum est discrimen et prognosis infaustissima dicenda est.

DE CURATIONE GENERALI.

GENERALEM mali tractationem quaerenti duo praecipua consilia occurrunt: primum, videlicet, causas sive praedisponentes, sive excitantes amovendi. Secundum, signa periculosa et urgentia vel praecavendi, vel temperandi vel auferendi.

Primo consilio accommodata sunt aperientia leniora ad acria stercora subducenda, absorbentia ad male secreta corrigenda; denique alia quaedam, veluti incisio gingivarum ad irritationis fontes remotiores auferendum.

Ad secundum consilium pertinent Enemata ex Amylo et Tinctura Opii parata; linimenta anodyna, necnon fotus calidi ventri et spinae dorsali adhibiti, adjunctis medicamentis cibisque demulcentibus per os sumptis ad nimium intestinorum motum et

dolorem vehementem reprimendum, necnon cardiaca medicamenta atque alimenta idonea cum per os, tum per anum suppeditentur, ad vires vitales subveniendum. His adnectere decet omnia quae sint utilia ad mala supervenientia, imprimis Hydrocephalum, vel praecavenda vel sananda, veluti capillos abrasos, vesicatoria, lotiones refrigerantes, denique sanguinis et generalem et topicam detractionem.

DE DIARRHOEAE VARIETATIBUS, DE EARUM CAUSIS, ET DE CONSILIIS MEDENDI AD SINGULAS ACCOMMODATISSIMIS.

Mihi satis est persuasum maximam difficultatem huic operis mihi parti inhaerere, nec eam indignam quidem esse, quae cum multo majore facultate atque experientia quam mihi ipsi contingit, tractaretur. Hujus tamen necessitas omni medicinam contra morbum, de quo agitur, facienti adeo

magna est, ut nullo modo eam praetermittere possim.

Verum antequam dicere instituo de morbosâ, primum de sanâ alvi ductione dicere operae pretium erit.

Dejectis aetatulâ primâ est color aureus paulo proclivis in fuscum, et quoad crassitudinem artolagani similia sunt.

Interdum fragmina materiei coagulatae fluctuantia observantur. Foetor iis non est, et numerantur vel duo vel quatuor vel denique quinque interstitio viginti et quatuor horarum. Quamvis tamen eum numerum transgrediantur, modo tormina non vexant, et dejectiones foetore et malâ specie carent, et infans aliter se bene habet; alvi fluxus pro morboso non est habendus.

Varietatis, quae aliae alio modo ab evacuatione naturali jam descripta differre reperiuntur, sunt septem. Has igitur singulatim recensere nunc est mihi propositum.

Varietas prima.—Ex dejectis liquidis mucosisque viridem colorem et odorem acidum habentibus dignoscitur, quae quidem

res omni tempore incidentes a vitio aliquo organorum concoctioni inservientium fere semper pendent, et ex omnibus eadem laedentibus originem ducunt, quorum praecipuus est cibus haud idoneus vel nimia quantitate sumptus.

Hujusmodi exemplum videre est in malo jam antea descripto infantes secundo vel tertio die post partum aggrediente, meconio expulso. In hoc loco dignissimum est notatu hunc morbum esse eorum infantium proprium, quibus cibus praesertim si crassus esset, ut panis aqua paratus, statim a partu datus est; necnon celeriter auferri, ut primum alimentum naturale, ex matris scilicet lacte, acquisitum fuerit.

Si autem consuetudo mala, non abrumpenda est, in animo tenere oportet, quo tenuior leviorque cibus, eo minus huic morbo obnoxios esse infantes; idemque vix ac ne vix quidem videri ubi is omnino est denegatus donec mater lac adeptus sit. Hanc igitur varietatem in causas jam dictas rejiciendo errare non possumus.

Omnium specierum est simplicissima, et interdum in longum tempus progrediatur sine incommodo saepius autem diu protracta corpus debile reddit, et principiis obstructarum Mesenteriae glandularum morborumque aliorum originem praebet.

Praeterea haec varietas in alias, easque periculosiores semper potest converti.

Ab illo ventriculi statu, in quo acida pollent potissimum accidere videtur.

Ventriculus ad cibos rite concoquendos non valet, fermentationem, quae plus minusve semper occurit, non reprimit, ut debet; unde acidum superabundans fit, fellis vi alkalescente subactâ, processus concoctionis ulterius interrumpitur et malum augetur. Ex actione acidi fel vitiantis fit ille viridis color, atque acrimoniâ fluidorum ex glandulis intestinorum secretio muci adaugetur, unde species dejectorum mucosa.

Curatio hujus varietatis potius a diaetâ quam a medicamentis pendet.

Ejusdem generis est ea species quam diximus tam saepe accidere in diebus a partu

primis, quae causam auferendo medetur, aegro tenello nutrici admoto. Credo, ut supra dictum fuit, rebus solitum cursum servantibus, ne ullo quidem cibo opus esse infantibus, donec femina lacte repleatur.

Attamen exempla sunt, quibus hoc praescriptum observari non potest, lac enim vel nimis proferri, vel omnino deesse potest, vel denique qualitatibus inaptis improbisque praeditum existet.

Est igitur admodum utile scire quod sit aptissimum cibi genus infantibus sic se habentibus.

Sine dubio, quandocunque acquiri possit, mamma adolescentulae optimâ sanitate fruentis omnino praestat, sed hac deficiente tum cibus lenissimus quaerendus est; isque quo magis ad naturam lactis humani appropinquet, eo secundior fit.

Vulgare et haud parvum vitium cibi infantibus parati est nimia crassitudo vel tenacitas.

Lac asini humano proximum est, sed hoc quoque nimis crassum nisi aquâ tempere-

tur. Constat autem lac asininum parte aequali dilutum, vel, quod multo saepius adhibetur, lac vaccarum coctum, spuma amotâ, et duplici aquâ admistâ, vel tenuem hordei decoctionem admodum accurate colatam, cuique aliquantum sacchari adjectum fuerit, fere esse pabulum aptatissimum quae infantibus ad tres usque a partu menses detur.

Cibo autem sic electo, vel mutato, si malum adhuc manere videatur, tunc remedia, rheum, scilicet, cum magnesiâ, vel cum calcis carbonate; aliquando quoque, liquoris potassae carbonatis, vel liquoris ammoniae aromatici aliquot guttas cuivis vehiculo idoneo adjectas exhibere oportebit.

Hydrargyri submurias, ut mihi videtur, est huic varietati inaptatus, vel saltem vix necessarius. Hoc medicamentum praesertim est utile ubi secretiones male se habent, rem, quam faecibus diligenter inspectis semper decerni credam. Sententia mea de hydrargyri submuriatis inutilitate in hac varietate curandâ, constante fortunâ, quae mi-

hi fuit eandem rheo, absorbentibus et aromaticis curanti, maxime nititur.

Hic autem memorare aequum est, diaetâ recte ordinatâ, me hydrargyri submuriate solo hunc morbum sanavisse; de hac re tamen suggerere velim, hydrargyri submuriatem nequaquam ei inservire, nisi ut medicamentum purgans, ventrem nimirum ab acribus liberando; sanatione aptâ diaeta effectâ.

Praeterea, remedia quae ante memorata sunt, commendem, non modo quia insipientis est metallicum potentissimum seligere, quum remedia lenia simpliciaque aeque valeant; sed etiam quia haec alios effectus exhibent, et morbi causam ipsam, nempe statum atonicum ventriculi amovere solent. Nihilominus, si morbus sit diuturnus et pertinax, hydrargyri submuriatem exhibere liceat.

Praeter medicamenta jam dicta, alia sunt, quae extrinsecus adhibenda sunt, scilicet, tinctura saponis cum opio, abdomini cursuique spinae dorsalis leni frictione apposita. Pro-

dest, quoque, abdomen fovere vel aqua calidâ, vel decoctione anthemidis nobilis et capitum papaverum, vel balneo tepido utī.

Postremo, aegrotanti dejectionibus frequentissimis vexato quam potissimum proderit enemata ex decocto amyli, cui aliquot guttae tincturae opii adjungantur, confecta,—exempli gratiâ,—ad infantem sex menses natum sex guttae tincturae opii duabus unciis decoctionis adjiciantur.

Si haec diarrhoeae varietas tardius producetur, diaeta attentionem semper merens maximam nunc meretur. Vice cibi dicti, juscula, vel cibos ex carnibus, scilicet, bovinâ, vitulinâ, vel pullinâ paratos administrare proderit.

Varietas secunda.—Quae digna notatur mihi videtur, faecibus liquidissimis consistit, viridi colore, foliis theae maceratis in aqua foeda natantibus haud absimilibus.

Causa ejus in lacte matricis pravata saepe petenda. Notissimum est illam secretionem a variis causis, iisque imprimis animum valde afficientibus, quarum nullae irae paroxys-

mis sunt insigniores, plurimis mutationibus esse obnoxiam. Diaetae errores inter has causas haberi debent; quibus quoque oportet adjungere morem, nequaquam minime laedentem, liquores fortes bibendi.

Porro, fluxus menstruus ad tempestatem lactandi accidens causam alteram praebet.

Est autem res multa attentione digna, Diarrhoeam pariter ac alios morbos, qui ex hac causâ proveniunt, quosdam dies ante fluxum obtinere, fluxuque constituto et progrediente decedere.

Haec varietas longa est et periculosa, paroxysmis convulsionis insigniter obnoxia.

Verisimile est colorem faecium hujus varietatis proprium a morbosa hepatis functione pendere, ex quâ bilis tum vitiosa tum justo abundantior secernitur.

Irritatio ex hoc fonte, aeque ac acrimonia ingestorum parum concoctorum, tenuiorem et copiosiorem reddit fluxum ex glandulis mucosis, vasisque exhalantibus. Hinc dejectorum liquiditas.

In hujus varietatis curatione, vomitum ex

ipecacuanhâ exhibendo incipere oportet; dein administrare dosin rhei et magnesiae. Si autem post aliquot dies eadem est natura faecium, catharticum potentiorem aetati accommodatum exhibere, uti dosin pulveris scammoniae compositi, vel jalapae cum submuriate hydrargyri; necnon intestina ab nimia mobilitate, enemate ex amylo et opio confecto defendere, oportet.

Sunt tamen, quibus optabilius videatur parvas doses hydrargyri, scilicet, ad infantem sex menses natum granum dimidium submuriatis Hydrargyri cum pulvere Ipecacuanhae et opii nocte, vel nocte maneque exhibere.

Hic etiam diaeta attentione maximâ digna est. Si morbus a qualitate lactis oriri videtur, Infans ab eodem per aliquot dies abstineat, et diaeta lactis asini, &c. ut ante dixi, usurpetur, vel morbo saepissime revertente, Infans tandem lacte nutricis omnino careat.

Tertiam varietatem dignoscas ex mucosis dejectionibus, massulis faecium passim dis-

tinctis. Tanta faecibus acrimonia inest, quanta, iis exeuntibus, anum exulceret doloremque maxime acerbum excitet.

Inter causas manifestissimas sunt, frigus diu applicatum, atque dentitionis processus, inde glandulae intestinorum orisque in actionem acutam et vitiatam ciuntur.

In hoc morbo medendo causa probe meditanda est. Si a dentitione oriatur, gingivae sunt incidendae. Si a frigore, balneo tepido et usu vestitus solito calidioris, imprimis indusii lanati, sanguis ad superficiem eliciendus est.

Calcis carbonate, Catechu, rheo, et omnibus quidem astringentibus abstinendum, ne alvus constringatur; neque contra motum alvi purgantibus augere proderit.

In hac diarrhoeae varietate tractandâ praecipuum ob oculos consilium est tenendum, intestina ab acrimonia muci depravati conservanda. Huic proposito acaciae mucilago cum lacte potabilis, et si opus sit, oleum ricini, inserviunt; vehementi dolore atque motu intestinorum nimio frictionis opiatae,

vel fotus calidi atque balneo tepidi usu simul moderatis vel remotis. Medici nonnulli, iique maximae celebritatis non desunt, qui in hac varietate hydrargyri submuriatis usum interdicant; hujus vero remedii prohibitionem agnoscere meae experientiae non concordat, praesertim si a processu dentitionis malum oriri videtur. Hic quoque haud parum confirmor a viro excellente, Amico meo, Doctore PATRIK GILLESPIE apud Greenock, qui id remedium diu et feliciter probavit. In dosibus grani dimidii, granis aliquantis calcis carbonatis conjunctis, omni nocte vel nocte maneque hoc remedium exhibere solet.

Porro, dolorem alvi sese dejicientis intolerabilem mitigare maxime oportebit. Hoc feliciter efficietur candelâ sebaceâ in aquam calidam immersâ, dein statim ante singulas sedes, per anum ad coli usque flexum sigmoideum per duo vel tria momenta illatâ.

Varietas quarta—a faecibus aquosis, subnigrum colorem et faetorem insigniter ingratum habentibus dignoscitur. Gravissimis alvi

doloribus aeque ac insigni ac subitâ corporis virium defectione comitatur.

Species inveterata illius jam dictae, quippe in quam aliquando transeat, existimatur.

Ejus causae quoque similes sunt, quibus tamen usus cibi haud idonei adjungendus est. Hic intestinorum glandulas, vasaque lactealia laedendo maxime pollere videtur.

In hâc varietate curandâ, causâ excitante bene contemplatâ, primum, si opus sit, gingivas incidere oportebit. Dein vomitum ex ipecacuanhâ exhibere, et post ejus operationem dosibus olei ricini alvum ducere. Necnon, quovis anodyno abdomen et spinam dorsalem bene affricare; denique easdem partes fasciâ laneâ leniter circumdare proderit.

His probe tentatis, si malum adhuc maneat, hydrargyri submuriatem dosibus parvis, ut antea dixi, mos est donare, vel, quod nunnullis optatissimum videtur, hic statim post vomitionem exhibeatur, enemata amyli et tincturâ opii, quandocunque sit necessarium, usurpata.

Hoc est genus, quod "Watery Gripes" Doctor UNDERWOOD nominavit, quodque medicamentis antimonialibus olim sed recentius hydrargyri submuriate et enematis amyli et tincturae opii Doctor ARMSTRONG tractavit. In omni curandi modo semper curam cibi diligentissimum habere oportebit, quâ omissâ aliis frustra operam impendemus.

Si Infans ipsâ matre alatur, quod de diaeta jam antea dictum est, hic pariter attinebit. Si a mammis jam amotus fuerit, malo praegrediente, diaeta iterum iterumque, quaecunque sit, mutanda.

In sequentibus optima complexus sum alimenta, ex quibus, uti sit opus, aliquas eligi possunt: Lac asini, vel vaccae probe dilutum; juscula ex carnibus vel vitulinâ vel bovinâ parata; gelatina pedum vitulinorum, cui etiam pauxillum vini vel tandem alkoholis adjungi potest. Denique radix indicus, "arrow-root" nominatus, atque farina igne parata, qualis a Doctore UNDERWOOD commendata est.

Si autem Infans a mammis jam amotus est; morbo non decedente, nihil magis proderit quam ad mammas denuo admovere. Cujus modi exempla etiam mihi metipsi non defuerunt; ubi post omnia caetera frustra tentata hoc aegrum sepulcro abripuit.

In varietate quintâ,—faeces sunt coloris subalbidi, calcis carbonati, faecibus naturalibus admistis, non absimiles. Habent quoque aliquantum muci, et interdum parva filimenta sanguinis, denique foetorem insignem. Ventriculis fit admodum sensibilis. Corpus insigniter decedit et marcescit. Superfices quoque calescit et arescit.

Systema lymphaticum cum hâc varietate alte connecti videtur. Inde glandulae nunc inguinis nunc mesenteriae se male habent. Saepissime quoque res ita sunt ut vix ac ne vix quidem potest decerni an hic lymphaticorum affectus sit mali causa vel effectus. Huic est videre quantum prudentiae est necessarium, ne de morbi cura ac fine falso praedicetur.

Hujus autem varietatis causa proxima parum intelligitur. Neque de bilis in faecibus defectu inter medicos convenit. Alii credunt, nimirum Dr CHEYNE, bilem in hepatis ductu obstructum, alii biles secretionem omnino deesse. Liceat mihi confiteri hanc opinionem mihi verisimilem videri, maxime quia bilis corporis superficie nunquam apparet.

In hac varietate curandâ duo consilia ob oculos maxime tenenda sunt; scilicet, primum motus intestinorum nimios temperandi; secundum sanam visceris chylopoietici conditionem restituendi. Ad illud perficiendum, nihil melius est quam usus linimentorum et fomentorum anodynorum abdomini et spinae dorsali libere appositorum, simul cum enemata amyli et tincturae opii, dum hoc medicamentis alternativis diaetâque aptissimâ tentandum est. Hydrargyri submurias solus ad hanc varietatem sanandam non satis valet. Ei alia medicamenta, veluti ipecuacanham, calcis carbonatem, ac interdum rheum adjungere necessarium est.

Diaeta nutriens levisque sit oportet.

Varietas sexta,—a faecibus coloris subalbidi, materiâ purulentâ commixtis, vel muco coloris subviridis satis facile cognoscenda est.

Hoc genus saepe periculosum et vix non lethale est.

Diarrhoea diutissime protracta hujus varietatis causa frequentissima esse videtur.

Nonnulli materiem purulentam in remotis partibus corporis absorberi atque in intestinis deponi credunt; sed haec causa, si exstet, rarissima est.

Verisimile est materiam, quae puri adeo similis videtur, id reverâ non semper esse, quippe quae solum quasdam mutationes subire putetur, quibus puri quam maxime appropinquetur. Porro, hujus generis sanationis exempla sunt post hanc materiam ita libere evacuatam, ut vix credibile esset, si ea pus verum fuisset, atque ex intestinorum membranae mucosae ulcerationibus fluxisset.

Hujus varietatis dolorem gravem mitigare et motus intestinorum nimios coercere

potibus mucilaginosis et diluentibus atque linimentis anodynis oportet.

Postremo, ad gravissimum dolorem, faecibus exeuntibus, sublevandum, candela sebaceâ ut ante dictum usurpanda.

Varietas septima,—et ultima est, qua cibus primas vias transit, nihil aut parum mutatus. Hoc ex causis duabus perquam dissimilibus evenire potest. Sunt itaque varietatis hujus species duae: prima et mitissima quae frigore et humiditate generatur; altera quae morbis acutis saepe supervenit.

In specie prima, vomitum pulvere ipecacuanhae ciere, exinde doses vel rhei et magnesiae, vel hydrargyri submuriatis, vel ipecacuanhae et opii parvas exhibere oportet.

In secunda specie, alvi motum nimium modo antea praescripto coercere oportet; dum sanatio morbi a quo pendet, assidue est tentanda.

FINIS.